



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Mysteria Complectitur Incarnationis & Infantiae Iesv Christi Domini
Nostri, vsque ad eius Baptismum

Puente, Luis de la

Coloniae, 1613

Med. 14. De S. Iosephi hæsitacione circa B. Virginis dimissionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54647](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54647)

MEDITATIO XIV.
 DE IIS QVAE CONTIGERUNT, CUM S. Ioseph spōsam suam B. Virginem vterum gestare animaduertit: ac de huius Mysterij reuelatione ei ab Angelo facta.

PUNCTVM I.



EDITATIONI huius historiae praemittenda est tanquam eius fundamentū, S. Iosephi sanctitas, virtutes, & gratia a Deo Domino nostro ei collatae, quod dignus esset mater eius spōsus, ipsi vero Christi

educator, ita ut ab omnibus, eius parens estimaretur; atque re ipsa id muneris in eius educatione & sustentatione subiret. Si enim Praecursorem suum a Ioan. Baptistam, & ipsos postea ab Apostolos & Spiritu S. repleuit ea abundantia, quam iniuncta illis officia exigebat; operae precium fuit, S. Iosephū excellentissimis gratijs ac donis replere: quod posset pro dignitate, commissa sibi ministeria adimplere. Quod quod acceptis donis nosset, sedulo negotiaria illa quotidie adauxit. idem enim Iosephi nomen habuit, quod dicitur Accrescens interpretatur, siue quod ipsemet crescat, siue quod augeat.

PRIMUM sanctitatem suam supra omnes sanctos, qui ipsum praecesserant, auxit: Fide enim & obe-

a Luc. 1. 15.
 b Mat. 2. 4.

c Gen. 49.
 22.

L.

& obedientia, excelluit Abrahamū; laborum tolerantia, Iacobum; castitate, alterum illum Iosephum; familiaritate cū Deo, Moysen; charitate erga populū suū, Samuelem; humilitate & māfuetudine, Dauidē. In quibus & alijs virtutibus & elucebat, & ita quotidie crescebat, vt optimē illi accommodetur illud Dauidis; d *Psal. 83.*
Beatus vir cuius est auxilium abste: Ascensione in corde suo disposuit: Ascendens de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorū in Sion. 6. 8.

Nominatim autem crescebat felicissimus hic sanctus, ascendens mysticam Iacob scalam **LECTIONIS, MEDITATIONIS, ORATIONIS, & CONTEMPLATIONIS**, quam supra dictum est, sponsam eius ascendere consueuisse: cuius exēplo tum ipse iuuabatur; tum duo hi Seraphini mutuō sese alis suis ad volandum, sanctumque Sanctorum orationibus suis glorificandum, prouocabāt. Atque vt maiori spiritus libertate hęc pręstaret Spiritus S. instinctu, voto se **CASTITATIS** obstrinxit. e qua *e i. Cor. 7.*
(Apost. teste) facultatē prabet, sine impedimēto Dominū obsecrandi. 35.
 In cuius cultu custodiaq; tantū posuit conatū, vt speciali Dei fauore, nec motū aliquem malū per sentiret, etiāsi cū pulcherrima aliā Virgine versaretur: quę aded etiā erat pudica, vt solus eius aspectus, desiderium castitatis ingeneraret. Et hoc ipso magnitudinē ostendit sui **AMORIS** in **DEVM**, quod matrimonij onera acceptās, eius voluptatibus Dei amore renūciauerit. His virtutes alias, de quib⁹ mox dicem⁹, adiūxit. In quib⁹ eū imitari

II.

Meditat. 4.
punct. 4.

III.

L 2 studebo,

studebo, orans, vt cum spōsa sua meus sit apud Christum aduocatus, vt qui, procul omni dubio, plurimum apud vtrunque valeat, ob magna & fidelia erga eosdem præstita seruitia. O præstantissime Patriarcha, cuius pulchritudinem cælestes mirantur Hierarchiæ, ora desideratum illum collum aeternorum, qui super caput tuum copiosam effudit benedictionem, vt super meū etiam effundat, quod, te imitabo, bonis operibus crescā, virtutibus augear, & in eisdem vsque ad coronæ consecutionem iugiter perseuerem. Amen.

PUNCTVM II.

a Matt. 1. 18

REDIENS B. Virgo ex domo Zachariæ, inuentæ est ab sponso suo in utero habente de Spiritu S. Ioseph autem vir eum, castus ignarus, & vehemēter anxius, cum esset iustus. & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Circa historicam hanc veritatem expendenda sunt occulta Dei iudicia, quæ mysterium hoc Iosepho reuelare, hucusq; occultauerat; quod tamen Zachariæ & Elisabethæ aperuerat. Voluit enim hac occasione non minus ipsam B. Virginem, quam sponsum eius excusare. Hic enim spōsam suam prægnantem cernens, potuit sine culpa (quod multi Sancti affirmant) existimare, id ex adulterio accidisse; aut certè, in re ad eam sibi noua, dubitare quæ res, quod graue dedecus sibi adferret, multum affligebat. Nec minor sponsum cura premebat, quam Iosephi sollicitudo anxietasque notabatur: erat enim & ipsi purissimæ & innocenti-

S. August.
Chrysof. &
alij.

centissimæ gravissima infamia, à sponso proprio adulteram haberi; ac propterea in periculo esse, ne ab eo desereretur. Quæ tamen omnia ita disposuit Deus, quod in huiusmodi tribulationibus & humiliationibus ingens bonum contineatur; quibus clarissimos illos sanctos perficere & ad maiora præparare disponerat. Quam enim Deus insigni favore tum Angeli annuntiatione, tum apud Elisabetham erat prosecutus; eandem apud sponsum voluit hanc infamiæ notam subire: ut sic in humilitate proficiens, ad ampliores, quas in Bethlehem paulò post esset gratias, honoresque acceptura, præpararetur. Est enim humiliatio, exaltationis veluti præambulum; & tribulatio, felicitis paschatis. Et hæc forte ratione permota Ecclesia, Evangelium hoc, in Natalis Domini peruvigilio statuit decantandum. Eadem etiam causâ Deus S. Iosephum exercuit, ut ad altissimi huius mysterij revelationem suscipiendam magis disponderetur; essetque eius testis, omni exceptione maior.

S. Bernard.
serm. 34. in
Cant.

Ex quibus illud intelligam, nemini quantumvis sancto, & cum sanctis semper versanti, bonisque operibus occupato, defuturas in hac vita afflictiones & tribulationes, vel ex ipsis interdum pijs occupationibus ortas. *b* Est enim militia, vit a hominis; & c iustus *b* Tob. 7. 1.
stat in iustitia & timore: & præparat animam c Eccl. 2. 1.
suam ad tentationem: quas propterea tribulationes, beneficij potius loco habere debet;

cum præcipue nullâ suâ culpâ eueniunt; & multo etiâ magis, cum ex tali causa proueniunt, ob quam honorem laudemq; merebatur: quod B. Virgini hic accidisse videmus: cum ob id, quod eximium in ipsa erat, infamiam notam sustinuit; & simile quid eius filius postea non semel est passus. Quibus exemplis spiritum summam dicendi Domino cum Dauide: *d. Psal. 25. 2.* *Proba me Domine & tenta me: uerene meos & cor meum. Quoniam misericordia tua ante oculos meos, & cõplacui in veritate tua.* Atque si diceret: exerce me varijs corporis & animæ reparationibus & afflictionibus: explorata enim mihi est misericordia & fidelitas tua, qua eas meis viribus attemperabis, conuerteresque in nouorum donorum augmentum.

PUNCTVM III.

MOX excellentes illas virtutes expendam, quas clarissimû hoc par Sanctorum, hac occasione & probatione exercuerunt; quò illas discâ imitari: nam etiam propterea Deus illâ eis misit tribulationem.

- I. PRIMVM enim S. Ioseph & patientiam & prudentiam insignem ostendit. PATIENTIAM, dum tantam iniuriâ silentio iuoluit, nec de vindicta cogitans, quam iure querere licuisset; nec apud parentes aut cognatos querelas deponens; nec murmurans, aut aculeatis vel iniuriosis verbis sponsam perstringens: potiùs vt iustus, non licitis tantum contentus, sed quod perfectius esset quærens, sta-

tuit tacens, poenam suam intra seipsum tolerare. PRUDENTIAM ostendit, dum medium quæsiuit & inuenit, quo ita Sponsæ famæ consulere, ut eam tamen, quæ de adulterio suspecta esset, in domum suam non traderet: sed vel libello Repudiij, quod antiqua lex permittebat; vel, iusto aliquo prætextu ipse alio migrans, se ab ea separaret. Accessit & ad prudentiam, quod neque hoc ipso, etiamsi ad rem accommodato, medio præcipitanter aut temerè sit usus; sed rem prius mature cogitare expendereque voluisse, quod verba illa satis indicant: *Hæc autem eo cogitante.* Habuit enim religioni non solum ei cohabitare, quæ adultera esse videretur; sed etiam eam dimittere, quæ tantam præ se ferret sanctitatem. Cuius consideratione mei pudorem concipiam, tum ob exiguam in tolerandis iniurijs patientiam, magnamque in inferentes indignationem, facilitatem ad murmurandum, & proximis detrahendum, occultis eorum defectibus reuelatis: tum de impetu impotente, quo me absque deliberatione matura in huiusmodi interdum præcipitio. & hoc pudore affectus, orabo Dominum, ut me propter huius merita, iuuare velit, ad insigne hoc eius exemplum sequendum.

II.
 SED VIRGO sanctissima, ut quæ sanctitate excelleret, clariores virtutes patefecit; quatuor tamè potissimas, Perfectorum in tali occasione proprias; raram nimirum humilitatē, silentiū, confidentiā de prouidentia diuina, & cōti-

nuam orationē. **HUMILITATE** enim tacuit, nolens occulta Dei mysteria, ex quibus tantus ei proueniret honor, patefacere; nec permisit ab Elisabetha, vel Zacharia manifestari; Nec ipsa, recepto inter coniuges (qui se inuicem aliās diligūt) more, secretū hoc Iosepho aperuit: quamuis cōijceret, quid euenturum esset, si, quod res erat, ille ignoraret. **Humilitatem SILENTIO**, cū apud spōsum suū suspectam se esse cognosceret, tacuit; nullā vsa excusatione, aut innocentiae suae testibus adhibitis, quod malam illam de se conceptam opinionē auerteret: sed maxima **CONFIDENTIA** se totam diuinæ prouidentiae cōmisit; honoremq; suum in Dei manibus deposuit: continuo interit **ORATIONI** vacans, ut maiestas diuina, quo modo magis expediret, remedium adhiberet. Quo exemplo, rubore suffundat ob superbiam & iactantiam meam, qua manifestare conuulsi, quae ad meum faciunt honorem; & propter uiam, qua meas culpas conor excusare, meumque honorē uarē tueri; exiguam deniq; in Deo confidentiam; & raram ad orationē recursum. Quare existimare meritō possum, mihi dici illud Ezech. a Tu autem Fili hominū, ostende domui Israel templum; & confundantur ab iniquitatibus suis; & metiantur fabricam, & erubescant, ex omnibus quae fecerunt. O anima mea, aspice templū hoc Dei uiuum, quod est B. Virgo: admirandas eius virtutes cōtemplare, quibus illa ornata est; quod ruborem concipias, ob illa, in quae lapsus es, uicia. metire stupendam

a Ezech. 43.
10.
S. Greg. 24.
Moral. c. 6.

eius

eius fabricam, perpendens præstantiam & operam eius ordinem; quò de vil. bus, & præposteris tuis erubescas. O incarnati verbi templum, ora magnum hunc Deum, quem tuis in visceribus gestas, me ut iis virtutibus ornet, quibus templum dignum, quod ipse gratiâ suâ inhabitet, efficiar. O anima mea, aduerte, iustos grano sinapis similes esse debere, quod dum teritur, latentem aliàs in se virtutem manifestat: Quare, si Deus te afflictionibus atterit; te ipsum ad similia virtutum feruens exercitium excitare ne prætermittas.

PUNCTVM IV.

A HÆC autem eo, S. Iosepho, cogitante, a Matt. 1. 20. ecce Angelus Domini apparuit in somno ei, dicens: Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. quod enim in ea natum est, non viri alicuius operâ, sed de Spiritu sancto est. Pariet autem filium; & vocabis nomen eius IESVM: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.

HIC PRIMVM diuinæ providentiæ fidelitas est perpendenda, quæ suorum afflictionibus leniendis, postquam ad culmen illæ peruenisse, nec humana media valere videntur, diuinis adhibitis consulit. Videns enim S. Iosephum in grauissimo negotio hærentem, nec posse humanis viribus causam attingere, qua eius sponsa concepisset; Angelum suum misit, qui rem totam suauissimè ei reuelaret. Nam & proprio eum compellauit nomine; & familiæ

cognomen expressit, FILI DAVID: quò, in memoriam reuocata Dauidi à Deo facta promissione, quòd ex eius familia Melsias venturus esset, attentior ad reliqua audienda, redderetur: ac propterea etiam adiecit: *Ne timeas*: vt scrupulum anxietatemque, qua turbabatur, deponeret. (quod Angelorum honorum est proprium) Dicit: Virginem de *Spiritu sancto* concepisse; vt conceptam suspicionem repelleret, tantæque Virginis honorem tueretur. Demùm, quòd totum eius moerorem in gaudium verteret, conclusit: *Pariet autem Filium*, cuius ipse tantam esset curam habiturus, atque proprius ipsius filius esset: ac propterea ipsi incumbere nomen IESV illi imponere, quòd Saluatorem significat: erat enim mundi Saluator futurus. Quæ omnia ita clarè distincteque Angelus reuelauit, vt mox integram fidem S. Ioseph adhibuerit.

II.

a Iob. 11. 17.

FACILE hinc ad S. Iosephi gaudium, ex ea reuelatione ortum, considerandum gradus fiet. In eum enim illud Iob optimè quadrat: *Cùm te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer*. Quantum illud fuit gaudium, à tali suspicionem se liberum videre! licèt nonnihil eum suppuderet, quòd locum ei aliquem, quamuis ex ignorantis, & absque culpa aliqua, dedisset. Quàm verò cautus euaserit, ne de quoquã male suspicaretur in posterum! Quàm Deo gratus, ob sponsam ad eò sanctam, tantæque dignitatis sibi cõcessam; & ob officium sibi educatoris talis filij commissum! Ac demùm, quantò

perfu

perfusus fuerit gaudio, cernens mundi redemptionem iam in proximo esse!

CONSIDERARE similiter licebit B. Virginis læticiam, dum animi tranquillitatem sponso redditam cerneret: quàm scilicet illa fuerit ex eo in fiducia diuinæ prouidentia confirmata! quàm grata Deo, quòd honoris sui rationem paternè habuerit. In ea enim locum habuit, quod idem Dominus dixerat per Prophetam: *b Et dabo ei Vallem Achor, ad aperien-* *b osea 2. 15.*
dam spem. in valle afflictionis ait, illam constituam, vt in spem iterum confirmem. *Et canet ibi iuxta dies inuentutis sua;* cùm à poenis suis se viderit expeditam. Gratias tibi, Deus æternæ, pro ea cura, quam de vtroque isto sancto gessisti, conuertens, pro more tuo, vallem Achor, in pastum & augmentum spiritus eorum, per vtriusq; merita supplico, vt me dignum facias, qui paternæ tuæ prouidentia fructum percipiam; omninò securè me in medio tribulationum illi committendo, remedium opportunum certo certiùs allaturæ.

PUNCTVM V.

EXVIRGENS autem Ioseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem suam: & non cognoscebat eam donec peperit filium suum, multò verò minus post. In quo non tam consideranda est S. Iosephi obedientia, (neque enim magnum erat, sponsam ad eò eximiam in domum suam deducere) quàm eius modus;

reue-

reuerentia, inquam, illa, qua B. Virginem deduxit, similia forte illis S. Elisabethæ vsurpans verba: VNDE HOC MIHI, VT MATREM DOMINI MBI in domum meam deducam! O quanto ampliorem erga eam amorem conceperit! quantam eius curam gesserit! quam sanctos inuicem mitcuerint sermones! quanta vitæ plusquam angelicæ inter eos puritas! quanta voluntatum conformitas! quanta Virginis erga sponsum, tanquam caput, subiectio! Tunc particularia omnia, quæ vel ab Angelo in Annuntiatione acceperat, vel in Zachariæ domo contigerant, ei proculdubio aperuerit: iam enim erat loquendi tempus, vt de tota mysterii serie Ioseph plenè edoceret, ad eius gloriam qui illud erat operatus. O felicem Iosephum, cui talis obtigit sponsa! O felicem animam, quæ vtriq̃ue seruiens, eorundam obedientiam discit & charitatem! O terrestres Seraphini, æquè, ac cœlestes illi, puri, qui vestris alis ad voluntatem Dei amplectendam velociter volatis accendite cor meum huius Domini, quem tantoperè vos diligitis, amore; vt eidem obediens, sicut vos, meos etiam fratres ea charitate diligam, qua vos mutuo dilexistis.

— 85 —